

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Incarnatio n
cum fontibus primis

Quanti te fecit Deus ex hiis que pro te factus est agnosce ut appareat tibi benignitas eius in humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humilitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate; et quanto pro me uilior, tanto michi carior.

Quanti te fecit, ex his quae pro te factus est agnosce, ut appareat tibi benignitas eius ex humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto maiorem exhibuit in bonitate, et quanto pro me vilior, tanto mihi carior est.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in Epiphania Domini*, 1, 2 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.293, ll.14-17).

Aduerte homo quia limus es et non sis superbus; et quia Deo iunctus es, non sis ingratus.

Adverte homo quia limus es, et non sis superbus; quia Deo iunctus es, et non sis ingratus.

Bernardus sermone XXII.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in uigilia natiuitatis Domini*, 3, 8 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.218, ll.3-4).